

lax cuiusquam simulatio, quæ selecta sunt, incerta esse iudicaret. Hæc enim supremæ vestræ sedis autoritas est, vt ad eam, quæcunque in Ecclesia credenda, & quæcunque recto ordine agēda sunt, reuocare conueniat. Nimirum, vtar enim verbis D. Irenæi, maximæ & antiquissimæ, & ab omnibus cognita Romæ fundata & constituta Ecclesiæ fidem per successiones Episcoporum ad nos vsque peruenientem indicamus.

*Iren. lib. 3.
ca. 3.*

*Orig. lib. 3.
Cels.
Chrysf. hom.
34. in Epist.
ad Hebr.*

Hoc autem opus qualecunque est, idcirco aggressus sum, vt quæ longis & assiduis iam per 26. annos in concionando laboribus, viua voce, in magnis vrbibus, etiam Christianorum Principum frequentia, asserueram, scripto prodita, & sacro Gazophylocio commissa, saltem minimum quid ad sarta tecta templa cōferant, mihi que peccatori apud misericordem iudicem patrocinentur. Et quoniam nihil vnquam perniciosius esse iudicauim, quàm vt quisque ad mentem suam scripturæ sensum conuertat: fieri enim vt flores, quos hi in mellis dulcedinem cōuertunt, isti velut aranæ ad veneni frigiditatem traducant: eapropter cauedum duxi, ne aut dicendo aut scribendo quicquam credendorū efflueret, quod non à sanctis Patribus proficisceretur. Siquidē, vt tradit Irenæus, in Apostolorum doctrina, secundū successiones Episcoporum, & secundū scripturas expositio legitima & diligēs, & sine periculo, & sine blasphemia est. Nimirum, vt Tertullianus, ordo rerum desiderat, illud prius proponi, à quo, & per quos, & à quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit & veritas scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum.

*Iren. lib. 4.
c. 63.*

*Tert. lib. de
Præscr.*

*Clem. Rom.
Epist. 5.*

*Ruffin. lib. 2.
hist. Eccl.
cap. 9.*

Nam, vt Clemens diuini Petri discipulus & interpres docet, oportet ab eo discere intelligentiam scripturarum, qui eam à maioribus secundum veritatem sibi traditam seruauit, vt & ipse possit ea, quæ rectè accepit, competenter asserere. Sic sanè Basilius & Gregorius Nanzanzenus, diuina Ecclesiæ lumina, verum scripturarum sensum perscrutati sunt, vt earum intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis & autoritate depromerent, eorum sanè, quos ex Apostolica successione, intelligendi regulam suscepisse constabat. Idem superioribus temporibus in Euangelia fecisse constat Theophilactum, Euthymium, Bedam, Remigium, Albertum, Thomam Aquinatem, Zachariam Chrysopolitanum, aliosque permultos, quos, vt Patres, veneror & amplector: à quibus minimè recedo, cum nec ipse sententiam feram, sed ea tantum interferam, quæ fusiùs dicendi argumentum suppeditant.